



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm Vlt. Dilecto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

aufertur, sicuti si nōdum possessionem nactus esset. Quamobrem impetrare volens beneficium mentionem facere debet secundum sty- lum Curiae Romanae, quōd alius in possessione colorata existat, c. cū nostris 6. de concess. prēb. Quia Pontifex non solet alteri conferre beneficium, nisi prius facta sit discussio de iure possessoris.

CAPITVLVM VLT.

Dilecto.

PARAPHRASIS.

In Ecclesia Salamantina electio Cantoris, quae communiter ad eiusdem ecclesiae Episcopum & Capitulum spectabat, semestri spatium à die notae vacationis facta non fuit: postea tamen Decanus & quidam alij Canonici Petrum elegerunt, ad Sedem Apostolicam appellantes, ne contra eam quidquam attentaretur. Sed Archiepiscopus Compostelanus intelligens, electionem ad se tanquam proximum illorum Superiorem deuolutam esse, non obstante appellatione illa, Gregorium ad Cantoriam illam elegit. Eo facto vterque electus, videl. Petrus & Gregorius Procuratores miserunt ad Sedem Apostolicam. Causā commissā Pancratius S. Marcelli Cardinali Presbytero, iudicatum fuit, electionem Decani & sociorum eius irritam declarandam esse. At verò Archiepiscopi electionem de Gregorio, dummodò canonicum ipsi non obstat impedimentum, confirmandam esse.

SUMMARIUM.

1. Si ad Episcopum vel Capitulum pertinet collatio beneficij, propter negligentiam v. g. Episcopi, fit deuolutio ad Capitulum, & vice versa.

NOTANDVM I. Collatio Canonice-
um, & personatum in ecclesia interdum pertinet ad Episcopum & Capitulum

simul, vt hic, & c. vn. Ne sede vacante, in 6. Interdum verò ad solum Episcopum, quamuis cum consilio Capituli spectato communi iurescit. c. vn. §. Cū verò, & c. 2. de concess. prēb. & dixi c. cū ecclesia, 1. de elect. Denique interdum ad solum Capitulum spectat collatio: Et his posterioribus duobus casibus deuolutio propter negligentiam, fit ab Episcopo ad Capitulum, & vice versa, cit. c. 2. In primo autem casu deuolutio fit ad Archiepiscopum, vt in hoc c. apparet; Ab Archiepiscopo denique ad Papam, vt in c. præced. Quare Capitulum instante termino temporis semestris monere potest Episcopum, eoque negligente, solum Capitulum sine Episcopo procedere: & vice versa, Episcopus absque Capitulo.

NOTANDVM II. Si fiat appellatio extraiudicialis, ne contra electionem factam quippiam attentetur, aut in electione vltimius non procedatur, non obstante tali appellatione, procedi poterit. Sed quae post appellationem interpositam facta fuerint, veluti in suspensio erunt; quia si pro appellatione à Superiore iudicatum fuerit, rescinduntur acta; sin verò contra appellationem, tum firma consistent, si aliud nihil obstat. Ita etiam habetur in c. considerauimus, 10. & c. cū inter, 21. de elect.

CAPITVLVM I. eod. Tit.
in 6.

Romana.

PARAPHRASIS.

Cū Archiepiscopus Remensis prouinciam visitare, suffraganeos quosdam Episcopos ob culpas suas excommunicauit: Et postea edictum per prouinciam publicari curauit, vt dum Episcopi in excommunicatione essent, subditi eorum dioecesiani liberè ad prouinciam Rhemensis pro terminandis suis controuersis accederent. Hanc rem cū intellexisset Innocentius IV. Pontifex, reuocauit edictum: eò quòd casus iste excommunicationis
Episco-